
C. L. Bording

de humoribus et spiritibus.


1600.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

10, - 197.
(LN bis 160)
DA BOX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

D. D. M. D.

THESES

PRO DISPVTATIONE PHYSICA, DE HUMORIBUS ET Spiritibus,

QVARVM PATROCINIVM, ingenii excolendi gratia, in ſe ſuſcipere pro virili annitetur,

SVB PRÆSIDIO

IACOBI COCI PHIL. ET MEDIC. DOCTORIS.

Reſpondens

CHRISTIANUS L. BORDINGIUS Danus.

Hora & loco conſueto, 26. Martij.

VVITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1600.

10.-197

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

VIRIS OPTIMIS

PIETATE, DOCTRINA ET

PRVDENTIA PRÆSTANTISSIMIS,

Dn. NICOLAO P. BORDINGIO inclytæ Reipub. Arhuſienſis conſuli, Seni digniſs. patruo.

Dn. M. LAURENTIO P. BORDINGIO, S. S. Theol. in Eccleſia Cathedrali, quæ ibidem, Profeſs. P. & canonico, parenti.

Dn. M. IOHANNI SEVERINO VELLEIO, &
Dn. PAVLO P. COLDINGIO, Verbi ſalutaris miniſtris & Concionatoribus orthodoxis, affinibus,

Amicis & fautoribus poſt Deum optimis, διατριβὴν *hanc* φυσικὴν *in gratitudinis Symbolum dicat Reſpondens.*

Chriſt. L. Bordingius.

SUO BORDINGIO.

Non ſatis eſt varios potuiſſe revolvere libros,
Ludere nec tenui dogmate ſæpè bonos,
Sed dare quod verum, ſolidæ jubet artis amator,
Hunc ſibi præfigens quàvis in arte ſcopum.
Nam tenet occluſis ceu veſta meatibus aurum;
Sic Ars occulto tegmine vera fovet.
Quæ velut ex fundo (neq; mens nimis alta capeſſat.)
Inſiſtens brevibus: Palladis arte trahit.
Hanc quoq; dum ſequeris normam peramande ſodalis,
Plurima nos paucis vera docere vales.
Ergò tuis ſtudiis flatum ſimul opto ſecundum,
Quod precor, eveniet; ſit modo firma fides.

Hæc Honoris, moris, & amoris ergò appoſuit, Iacobus Colerus Iunior Berol. March.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

D. D. M. D.

PRudenter, Hippocrates corpus humanum in tria quondam diſpeſcere ſolitus, continentia, quæ partes ſolidæ ab aliis nuncupantur, contenta, & impetum facientia, quæ humorum & ſpirituum nomine veniunt. Eapropter cum collationibus antegreſſis de continentibus actum, vice hac, eaq; ultima, de humoribus & ſpiritibus diſquirere animo conſtituimus.

I.

Humores verò & ſpiritus partibus num accenſendi controverſum. Multi enim partes corporis appellare erubeſcunt, cum functionibus maximè humores deſtituantur, nec certum obtineat ſitum. Et quidem ſi ſpectanda ἀκρίβεια Philoſophica, & medicorum placita non deſtruenda, à partium numero hæc ſecludenda. Toti enim non cohærent. *Fernel, 2. phyſ. c. 2. Vall. 1. contr. 13.* *An partes*

II.

Humor autem eſt corpus fluidum & liquidum, in quod convertitur nutrimentum, ut partes alantur, ſeu conſervenrur: vel eſt ſubſtantia liquida, quæ in corpore conſpicitur. *Phil. l. de anim.* *Quid humor.*

III.

Quemadmodum enim in lychno flamma, ſubinde de oleo vel cera aliquid depaſcit: ita in corpore animalium calor quæq; depopulatur, quæ humorum proventu reſtituenda. Ideo hi coctionibus in animalibus conficiuntur, ut reſtauratio fiat in eo, quod abſumi ceperat.

IV.

Sunt tamen duplices (naturales intelligimus quandoquidem de præter naturalibus locus erit alius) alij τροφιμοὶ ſeu alimentarij, alij περιττωματικοὶ excrementitij. Illi corpus utiliter nutriunt: hi illorum ſunt ſuperflua, quæ ex ciborum ſeu alimentorum partibus minus probe affectis oriuntur. *Diſtinctio*

V.

De hiſce verò, qui alimentarij, quædam in contentionem veniunt, vel maximè an illi ratione materiæ, an caloris producuntur diverſi, & num mores animi humores horumq; temperiem ſequantur. Et quidem nonnulli ſanguinem à calore mediocri & exquiſite temperato, bilem ab excedente, & quaſi fervente: & pituitam à deficiente opinantur, quaſi in epate ſubjecto uno diverſi poſſent eſſe calores. *Gal. 2. de temper. c. 4.* *Efficiens.*

 Verum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

VI.

Verum aſſenſum ferimus ijs, qui alimentorum indolem rimantur. Vnus enim idemq; Epatis calor variam dum exercet alimenti partem varium quoque inde humorem format: Equidem in benigniorem alimenti partem quando agit, ſanguis oritur: in aqueam pituitoſus humor; in igneam & calidiorem bilioſus: in terreſtrem & ſicciorem Melancholicus.

VII.

Mores & humores. Deinde ipſos humores, horumq; κράσιν cum toto, plurimum ad mores & perturbationes animi facere aſtruimus. Temperie enim (illa quoque quæ ſolidis propriè partibus ineſt) anima ut organo utitur. Ideò qualis temperies; tales quoque meritò animi affectus, ſeu perturbationes & mores. *Gal. lib. quod temper. corpor. ſeq.*

VIII.

Hinc Ariſtoteles conferens Græcos cum Aſiaticis & Europeis, luculenter τὰ μὲν inquit, ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις ἔθνη, καὶ τὴν περὶ εὐρώπην θυμοῦ ἐστὶ πλήρη: διανοίας δὲ ἐνδεέστερα καὶ τέχνης. Ideo libertatem quidam amant, ſed Reſp. benè adminiſtrare non poſſunt. Aſiatici verò mente quidem præſtant & in inveniendis artibus valent, ſed timidi, unde perpetuò parent & ſerviunt. Græcorum verò natio ferox, & animoſa, & Reip. optimè proſpicit. *Ariſtot. 7. politic. cap. 7.*

IX.

Equidem hæc omnia ratione aëris, qui ad temperamenti varietatem plurimum confert fieri nemo negabit: Imò ipſæ nationes ratione locorum, quæ modo plana, valloſa, modo ſicca, humida, modo montoſa, multum differunt: Sicut de græcis Philoſophus teſtatur. Alij enim ingenio ſimplici: alij acutiſsimo: mores hi in hiſce: alij in alijs. *Philoſ. l. d.*

X.

Quid? Humores & temperamenta ſi ad mores & perturbationes nil faciunt, cur quæſo amicorū & conſanguineorum odia majora? ut dictum ab Archilocho: *Nonne appetebant jugulum amici ipſi tuum?* *Et bella fratrum ſæva, pugnæ aſperæ,* Imo οἱ τοι πέρα στέρξαντες καὶ πέρα μισοῦσι·

XI.

Et Philoſophus ob varietatem temperamenti nonnullos aſſerit eſſe iracundos, alios mites, intrepidos, *1. de anim. c. 1.* Et 2. de

partib.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

partib. animal. c.4. κρᾶσεως variam eſſe cauſam demonſtrat, ut alia ſint meticuloſa: alia prudentia. Verum hæc ipſa cum grano ſalis ut eſt in dicterio accipienda volumus. Perturbationibus enim ratio præeſt. Siquidem Stoicorum neceſsitatem excludimus omnino. *Ptolom. 1. pag. eid. Ethic. c. 28.*

XII.

Alimentarij porrò humores gemini. Alij enim in Epate & Venis majoribus, & primi dici poterũt: alij in capillaribus & membro, quod nutritur, ſecundi. De maſsa autem ſanguinis contentio eſt. Abſurdum enim alij in maſſa una & eadem quatuor poſſe ineſſe credunt. Atque ipſa αὐτοψία confutat & ratio eoſdem convincit. *Fernel. 6. Philoſ. c. 4. Simon. de humori, & Schekius in confutat. illius pag. 648.* *Alimentarij.* *Quid quatuor humores.*

XIII.

Nam parte ſumma aliquid aqueum & ſpumoſum, nec non flaveſcens obſervatur: media rubeum & ima atrum: non ſecus ac in lacte aliud eſt flos, aliud ſerum, aliud feculentum, quod fundum vaſculi petit: ſicuti & muſti fervor & cereviſiæ coctura diverſa uni & eidem ineſſe poſſe liquido commonſtrant.

XIV.

Et in alimentis omnibus cum quatuor inſint ex elementorum concurſu, cur eadem humoribus denegare quis audeat? Nonne & temperies ex horum diverſitate & copia diverſa? ſicut in conſtitutione corporis temperata ſanguis proprie ſic dictus reliquos excellit: poſtea pituita: demum ſuccus Melancholicus, & bilioſus in copia minimus. *Fernel. 6. Phyſ. c.4. Gal. 5. de element. c. 5.*

XV.

Quomodo vero inſint hi quatuor humores, diſquirendum. Alij enim ſolummodo potentia in ſanguine tres reliquos ineſſe arbitrantur. Nam ἀλλόφυλον quid eſſe ratiocinãtur, cum tamen ad ὁυσίαν conſtituendam non ἀλλοφυλία ſed ὁμοφυλία & συμφύσις requiratur. *Fernell. l. d.* *Quomodo quatuor inſunt.*

XVI.

Verum potentiam illam omnino non agnoſcimus. Nam elementaribus rebus ut elementa non potentia ſed actu inſunt: ita maſſæ ſanguineæ quatuor actu. Quod enim nutrit, actu ut præſto ſit neceſſum eſt, ſicut bilioſas partes bile, melancholicas ſucco atro ali in confeſſo eſt omnium.

XVII.

Deinde ἀλλοφυλία illa quandoque obſervatur, ſi περιττωματικοὶ illi humores in ſanguine miſcentur laudabili: unde ut ἀκρασία in-

 troducitur.

troducitur: ſic morborum cauſa fœcunda. Ideò natura provida in ipſo epatis corpore diſcretionem molitur.

XVIII.

Eapropter humorum illorum, qui in maſſa una, naturales ſunt tẽperationes & mediocritates, ut inde ὁμοφυλία & σύμφυσις & unus ſanguis, unaq; illius οὐσία conſtituantur. Nec eadem eſt conditio, quæ lapidis & farinæ, ut volunt. Hæc enim ut indole planè diſcrepant: ſic ex illis una maſſa, quę panis confici nequit. *Schegkius de confutat. Simon. p. 648. & de calor. p. 28.9.*

XIX.

Nec eſt quod ſeroſum objiciunt humorem, quandoquidem ſanguinis pars non eſt, ſed potius excrementum, quod natura, atteſtante Hippocrate, ὄχημα τῆς τροφῆς eſſe voluit: ſicut excrementa partium corporis, illarum οὐσίαν nec impediunt, nec ſi legitimè habeant, deſtruunt.

XX.

Sanguis. Ideò in una maſſa quatuor humores conſtituimus. Sanguis enim rubeſcit in temperamento calido & humido, licet nonnulli hoc deſtruere conentur, dum calorem immoderatum, quem in ſanguine non agnoſcimus, parum cautè intelligunt. Lege enim hac conſtitutio ſanguinea minus conveniens, cum aliâs ij, quibus temperies hæc, ad negotia quæq; apti.

XXI.

Pituita Pituita quaſi ſubaquea, temperamenti frigidi & humidi: Bilioſus ſuccus ſub flaveſcens calidus & ſiccus: & demum melancholi-

Bilis flava cus ater, frigidus & ~~humidus~~ siccus: Et ut hi: ſic illi multum pro individuorum & alimentorum intuitu variant.

Atra.

XXII.

Inprimis verò ſuccus melancholicus, cum halituoſus & tenuior ſit, ſpiritus copioſiores & ardentiores producit, ſicut ignem fortius per ferrum, quam lignum & ſtipulam agere ſcimus. Hinc melancholici ingenioſi conſtantes, ſed triſtes & moroſi. *Val. 1. cont. c. 14.*

XXIII.

Secundarij humores. Secundarij humores, quos alij partium ſimiliarum nuncupant, numerantur quatuor. Primus eſt ἀνώνυμος, propriè ſuccus ille, qui in venis capillaribus continetur, & leviter ſaltem à partibus circum-

1\. ſtantibus alterari cepit, & ab alijs ſanguis capillarium à ſubjecto indigitatur.

XXIV.

2\. Alter eſt ros, qui roris inſtar lapſu multiplici, in partes alendas è capilla-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

& capillaribus diffunditur, unde immediatè dum ab ijs fovetur, majo- 3.
rem quoque alterationem ſubit: ſicut & gluten, tertius humor ſecun-
darius, ut membris apponi queat: quartus demum eſt cambium, quod 4.
vel humidum radicale & calorem innatum conſervat, vel ipſum eſt hu-
midum. *Fernel. 6. phyſ. c. 8.*

XXV.

Eſt tamen ut in plantis omnibusq; cæteris elementaribus ſic
in ſingulis animalium partibus humidum aliud nutriens, quod nomi-
ne humorum ſecundariorum venit; & oleaginoſum, cujus ope calor
ſervatur, quod arte Chymica ex omnibus mixtis elici poteſt,

XXVI.

Excrementicij deniq; humores ſunt illi, qui ſanguinis συμμετρίαν & σύμφυσιν impediunt, nam pro hiſce natura certa conſtituit receptacula. Bilis flava, utpote ignea alimentorum pars; in follicu- *Excrementitij.*
lum fellis amandatur: Atra bilis terreſtris à liene recipitur: & ul- 1.
timo pituita aquea in venam cavam juvandi ſanguinis ingreſſum gra- 2.
tia protruſa, à renibus per emulgentes attrahitur. 3.

XXVII.

Spiritus eſt ſubſtantia vaporoſa, facultatum vehiculum, & omni-
um actionum obeundarum organon. *Ariſt. de ſpirit. c. 2.* *Quid ſpiritus.*

XXVIII.

Generatur verò hic ex corporeo, unde corporalitatis omnino
expers non eſt, Materia eſt vel ſemen, vel ſanguis cum aëre, licet alij *Materia.*
hujus opera ſecludere audeant. Ideò vaporoſum quid, ita *Efficiens.*
tamen à vi peculiariter data & conceſſa elaboratum & conformatum,
ut aliquid divinitatis ſeu ſpiritalitatis referat, nam & ab eo indigita-
tur

XXIX.

Equidem partes ſeu corpus ex elementis productũ, inconſtans *Finis.*
& varijs mutationibus obnoxium & corruptibile: anima verò ho-
minis divina, quamq; DEUS Adamo divinitus inſpiravit, ſicut cor-
pus ex limo terræ produxit, conſtans & nullas experitur mutatio-
num vices. Ideo ſpiritus juxta Aphrodiſæum ſunt vinculum illud,
quo corpus & anima, quæ alias ex adverſo diſſentiunt, junguntur,
& uniuntur.

XXX.

Hinc Galenus ſpiritum hunc aut ipſam animam aut immedia-
tum ipſius inſtrumentum arbitratur. Et Philippus hoſce ſpiritus ſua
luce, ſplendore & claritate longè ſolem & ſtellas quasq; ſuperare re-
ctè æſtimat. *Gal. 6. de uſu part. 3.*

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

XXXI.

Et cum tanta ſpirituum dignitas & præſtantia, nec non pro obeundis actionibus neceſsitas, ipſum quoq; ſpiritum divinum hiſce miſceri modo ſuo, pie ſanè nonnulli ſtatuunt & credunt. Phil. lib. de anima: ſicut dubium omnino nullum ipſum diabolum, horum ſpirituum indolem exactè ſcire & obſervare.

XXXII.

Diſtinctio Alius verò ſpiritus eſt inſitus, qui in prima formatione ſingulis membris innatus, genitus σύμφυτος connatus. Hic, an ubiq; idem & ſibi ſimilis controverſum. Etſi verò alij in omnibus membris eundē eſſe: tamen nos cum Galeno & ſingulos & diſsimiles ſingulis ineſſe membris aſſerimus. Eadem enim & ſimilis non eſt omnium membrorum ratio, nec actio eadem. *Gal. 5. de ſimpl. facult. c. 9. Ariſt. de ſpirit. c. 4.*

XXXIII.

Alius deinde eſt influens, qui in certis genitus membris, & ab ijs cum toto communicatur, ut innatum non modo foveat, ſed ad actiones obeundas ſuſcitet. Ille enim ſine hujus beneficio torpeſcit.

XXXIV.

Vitalis. Hunc alij duplicem, vitalem, & animalem: alij triplicem, addentes naturalem exiſtimant. Vitalis eſt, qui in cordis thalamo ſiniſtro, ex ſanguine puriſsimo, nec non aëre per pulmones delato generatur, & per arterias vitæ gratia in totum devehitur corpus. *Ariſt. lib. de ſpirit. c. 5.*

XXXV.

Animalis. Animalis ſpiritus eſt, qui in Cerebro ex vitali & aëre productus, nervis in totum diſtribuitur ſenſus & motus ergò. Nec eſt quod alij hunc omnino negent, cum eosdem actionum diverſitas confutet: ſicut & de loco hujus geniti inter omnes non convenit. Nos verò ipſam cerebri ſubſtantiam aſtruimus. *Zabarell. de partib. anim. c. 9. p. 677. Gal. 9. de uſu part. c. 8.*

XXXVI.

Demum naturalem in epate, ex ſanguine oriri, & per venas *Naturalis* ſimul cum ſanguine transportari credunt multi. Verùm cum ab arterijs calor & vis ſanguinem conſervandi venis communicetur, multi naturalem rejiciunt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 160 [10,-197 4°]